

ille, in panno, sive in telâ, sive in pelle quâcumque maculas aliquas subvirides vel subrubras animadvertit, statim suspicionem aliquam de leprâ concipiat. Quare delatus ad sacerdotem pannus, ejus jussu septem diebus clausus asservetur; quo temporis spatio si macula crevisse deprehendatur, statim igni res illa veluti leprâ infecta addicitur.

Si verò, inquit Moyses, idem in maculis status manserit, lotus pannus ad alios septem dies custoditur; si post id temporis macule non auctæ quidem, permansisse tamen deprehendantur, igni nihilominus res illa tanquam impura tradenda, certum enim lepræ indicium est, vel saltem macula ipsi stamini inhærens, quam scilicet igne expiari oportet. Si verò macula illa, vel locus qui lepræ suspicionem induxit, eundem exhibeat colorem, eandemque servet habitudinem quam pannus ille igne crematus habere (Levit. 15, 26. *Hineb chehab*), nempe locus esset reliquâ superficie depressior; statim frustulum à reliquo panno avellatur. Tandem si post hæc omnia, indicia lepræ in vestes gliscentis deprehendantur, ubi scilicet nulla antea observata fuerant, tunc vestis igne damnetur; immunitis verò pronuncietur, si nulla extent ejus rei indicia; tunc enim semel prius, iterumque lota pura esto. Hæc de leprâ vestium Moyses; en nostræ eâ de re conjectura. Hanc igitur lepram ex eadem vermium pannos vitantium causâ derivandam censeo. Tinea quibus panni diutius inclusi corrumpuntur, vermes esse, res est apud omnes exploratissima. Scitum est etiam malè paratas pelles huic incommodè præ cæteris exponi, quemadmodum et tinea frequenter scætant alicæ Arvenæ pinguioribus lanis conteata. Huic malo repositis inter panni plicas candelis occurrunt; vermes illi pronam ceram nacti, candelam abrodunt. In regionibus soli expositis, et eâ potissimum ætate cum parandi pelles et lanæ ars minis erat explorata majus certè incommodum pannis omnibus, et vestibus ex tinea timebatur. Cum autem nec vestes per eam ætatem frequenter immutari consueviscent, nec id facillè potuissent Israelite in deserto iter agentes, sicut et per eam occasionem nullus esset balnearum usus; hinc facillè eorum vestes contrahere sordes, adeoque et vermes poterant. Carbasinis quidem telis præ aliis omnibus tinea parcere consueverunt; pannis verò cæteris ac telæ ex retorto pluribus filamentis stamine contextis, plus ab his vermibus, nec minis sanè quam cæteris aliis pannis, timendum fuerat. Facillè etiam frequenter erant apud Judæos vestes illæ, quarum deinde nsum Moyses inhibuit; ex lino nempe et lanæ contextæ, quod certè panni genus contrahendis tinea aptissimum est.

Èa hypothese semel constitutâ, ut in leprâ vestium à Moysè significatæ vermes, vestes illas et pannos abrodentes, planum est concipiendum. Coloris in panno mutatio, macularum vitium auctum, depressior superficies, veluti si igne afflata fuisset; hæc, inquam, omnia commodè explicantur, si vermes inducamus vestimenta infestantes; dum potissimum morbidiorem aliquam panni partem nacti fuerint. Facillè insecta illa

ex uno in alterum locum transmigrant, et dum sedem immutant, priorem regionem adeò vastatam relinquunt, quasi si flammâ afflatus esset locus. Crassiora enim et solida filamenta, ipsaque panni textura manet: cum interim tenuior superficies, ac lanæ vellus depasti sint. Jubet igitur Moyses, vestes illas, ut primum certum lepræ indicium exhibuerint, igne absumi; neque enim fieri potuisse creditur, ut à vermibus, quibus scætant, repurgarentur; sicut eam adhibendam cautionem censuit, ne lues in reliquis vestes propagaretur.

Quin et id consilium habuisse Moyses potuit, ne scilicet lues ex vestibus in homines transiret; quamquam enim in nostro climate et vestidit consuetudine vix contingat vestium vermes ad homines transire, non est tamen cur paria de eorum climate arbitremur. In ferventibus enim regionibus insecta abundant magis quam in septentrionalibus; neque Moyses ætate humanis commodis adeò ars et inventa hominum servierant, quemadmodum nostrâ, quâ et cætera omnia et artes ipse mechanicè in paradisi telis, pannis et pellibus ad ultimam perfectionem devenerunt.

Quicunque Sinicas regiones excurrerunt, quantum Sinenses illi adhibeant diligentiam curandis vestibus et pellibus, ne quid vermium per ætatis fervorem contrahant nobis retulerunt. Porrò pelles et pellicæ vestes frequentes apud Hebræos obtinuisse sacrâ Scripturâ ipsâ referente discimus. Earum usus in velamentis tabernaculi, à tentoriis militum, in vulgaribus Prophetarum vestibus occurrit. Moyses eâ de re sermonem habet Levit. cap. 11, 52; et 15, 48, 59; et 15, 17, veluti de re in vestibus et culcitrâ usitatissimâ. Quid veteres heroes? Nonne exuviis ursorum, tigridum, leonum alarumque belluarum induti pinguntur? veluti, ait Festus, si eo indicio priorum hominum vestes nobis designarentur. Arabes, Turcæ, Scythæ, Pannonæ, Moschi nostrâ etiam ætate pelle in vestibus, culcitrâ, tentoriis, mensis adhibent. Pelles sanè omnes, et vellera, nisi sedulâ arte parentur, vermes facillè, eamque, quam Moyses vocat lepram vestium, contrahunt. Porrò de vermibus, vestimenta corrumperibus frequens est in sacrâ Scripturâ sermo, veluti si res esset eâ ætate exploratissima. Job, c. g., ait (Job. 15, 18): *Quasi putredo consumens sum, et quasi vestimentum quod comeditur à tinea*. Salomon in Prov. 25, 20: *Sicut tinea vestimento, et vernis ligni; ita tristitia viri nocet cordi*. Isai. 51, 8: *Sicut vestimentum, sic comedit eos vermis; et sicut lanam, sic devorabit eos tinea* (Vide etiam Ose. 5, 12; Isai. 50, 9. Ps. 58, 12; Eccli. 12, 15).

Edium lepra de quâ Levit. 14, etc., Israelitis, cum potissimum in Ægypto versarentur, notissima creditur; nec sanè in Chanaanite, quò ipsi transmigrabant, lues erat extranea; quod enim in deserto eâ de re Moyses sancivit, id sanè ad futuras gentis sedes referendum fuerat, cum nullæ tunc essent populo ædes, quibus à leprâ caveret. Ita verò Moyses de leprâ domorum. Cum in parietibus domus inæqualis superficies non sine subviridi, vel subrubro colore infecta

apparuerit; statim eâ de re monitus sacerdos asportari omnia è domo, atque vacuum septem diebus clausum custodiri præcipiet. Eo temporis spatio evoluta, si indicia morbi crevisse, atque lues intimis penetrâsse deprehendatur, avulsi è pariete lapides in locum extra urbem immundum projiciantur, tum et parietes abradi, et erasum pulverem extra urbem spargi præcipiet. Denum novâ calce oblita interiora domus, atque puris lapidibus in locum impurorum substitutis, oblato prius pro ejus expiatione duorum passerum sacrificio, salva erunt omnia. Si quid tamen deinde veteris lepræ occurrerit, tunc inveterati et pervicacis morbi indicium esto; quare eversa statim domus ruderâ omnia extra urbem in locum impurum projiciantur. Hæc Moyses; hæc verò eâ de re nostræ conjectura.

Ope microscopi (Vide *Journal des Savants*, an 1668) vermicali quidam lapides abrodentes detecti sunt, quos colore nigrâtes, duabus lineis circiter oblongos, tribus lineæ quadrantibus latos, testâ subnigrâ munitis, describunt. Addunt etiam tribus illos pedibus capiti proximioribus ex utroque latere instructos esse, pediculi instar, sicut et caput habere pro reliquo corpore crassius; gulam ferunt quatuor mandibulis in crucis modum conformatis paratam; has autem mandibulas semper habent expeditas, atque instar circini quadripartiti lateris removo; oculos tandem gerunt rotundos nigricantesque. Mortaria pariter vermiculorum, tinea casè nihilominus minorum, exeretis rodit: subnigri illis, et quatuor longioribus pedibus ex utroque latere instructi. Neque est cur eâ de re vehementer miremur, cum nihil frequentius occurrat, quam corallii ramusculi, atque conchæ pulcherrimæ vermibus perviæ, quin et vitri vermicalati frustulum me-

morant, è cuius plures etiam forulis educti vermes. Hæc igitur insectorum genera, à quibus nec lapides, nec parietes immunes sunt, cavenda Moyses edixit. Solent autem vermes illi humidis ædibus, facillè suis aculeis perviis, detectari; hinc color subviridis vel subrubri inductus; hinc etiam situs quidam, et macule ex humoris affluentis resultantes. Lapides emarcescunt, quin et in grana resolvuntur, postquam tenuiores compagine vermes abrosentur; ita contigit non rarò, ut mortaria ipsa ultro dissoluta in sabulum abeant, postquam scilicet tenui illud et imperceptibile gluten vermes devorârunt.

Sunt igitur facillè vermes illi lapidum et mortariorum, quos Moyses lepræ domorum nomine designatos voluit; quemadmodum et mala ab illis causata omnia ipsissima sunt, quæ Moyses eidem lepræ attribuit. Nec sanè abs re sunt cautiones illæ in lege præscriptæ, cum nostrâ hypothese apprime quadrantes. Primò igitur sedulò observandum præcipit, in macule illi subvirides, seu subrubræ spatio septem dierum increverint; nempe an vermes opus suum vehementer promoverint. Detecto luis argumento, statim avulsi lapides, et erasi parietis pulvis in locum extra urbem remotum projiciuntur; ne quid scilicet ab insectis illis mali turbi imminet. Tandem si omnes illæ cautiones non satis malo occurrissè deprehendantur, nec pestis gliscere desierit, tunc domus deicienda; neque enim fieri potuisse creditur Moyses, ut vermium pervicacæ mitiori remedio occurreretur; quare deiciendum ædem censui, ne omnes contagione corrumpere. Consule nostram dissertationem in morbum Jobi, ubi eam in rem plura congestimus, demonstrare conati veneros morbos et lepræ genus esse, et apud veteres non ignotos.

DE MOLOCH DEO AMMONITARUM Dissertatio.

Cum tria sint deorum nomina, quorum in scriptis Mosaisicis mentio recurrit, nempe Moloch, Phegor et Chamos, singulis dissertationibus agendum de illis seorsum constituimus. Par est enim ut de vetustissimis, quæ uspiam occurrant, numinibus, quorum aliquin frequens est in sacrâ Scripturâ mentio, atque Israelitis sepeissimè fuerunt offendiculo, exactius aliquod afferatur in medium. Primus igitur prodeat, qui primus etiam in Scripturâ legitur, Moloch; de cuius figurâ, genio, cultu, cultoribus, quemadmodum et de affinitate cum cæteris paganorum numinibus, disquiramus. Quâ in re non parvo nobis erunt adiumento doctissimum virorum (Selden. Syntag. de Diis Syris; Spencer. de Legib. Hebr. ritual. l. 2 c. 10; Vass. de

Orig. et progr. Idolol. l. 2, c. 5) de hoc argumento lucubraciones, quibus novi aliquid de nostro adjungendum suscipiemus. Cautum est Israelitis (1), ne filios suos pro ignem tradere usquam in cultum Moloch audeant; quod etiam præceptum Moyses iterum validius inculcans (Levit. 20, 2, etc.), lapidum ab universo populo injiciendorum supplicium in transgressores edicit; tum Dei verbis hæc addit: *Ego ponam faciem meam contra illum; succidamque illum de medio populi sui, eò quòd dederit de semine suo Moloch, et contaminaverit sanctuarium meum, et polluerit nomen sanctum meum. Quòd si negligens populus terræ et*

(1) Levit. 17, 21: De semine tuo non dabis ut consecretur Moloch.

quasi participans imperium meum dimiserit hominem, qui dederit de semine suo Moloch, nec voluerit cum occidere, ponam faciem meam super hominem istum et cognationem ejus; succidamque et ipsam et omnes qui consenserunt ei, et fornicarunt cum Moloch de medio populi sui. Lujus numinis cultum adoptasse potissimum Hebraeorum partem antiquam ex Aegypto faecserent, facile credimus, cum Amos (1), et post illum sanctus Stephanus (Act. 7, 43), delatum desertum in tabernaculum Moloch idolii sui Judaeis exprobraverint; ac Moyses ita de nomine illo loquatur, quasi gliscentem jam abusum corrigere, atque praesens, non futurum et possibile tantum, malum avertere enaretur. Porro si ea fuit Judaeorum in Moloch perviciam, ut auctoritati atque studio Moysis, simulque Deo militanti dira in deserto resistere, nec desissee pariter credendum est eo tempore intervallo, quod ita Judic. 21, 24, describitur: Non erat rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat, Salomon quo sibi decus et gloriae quisivit, ut scilicet templum supra meatem Jerosolyma imminente Moloch excitaret (3 Reg. 11, 7); qua in re simulatorem habuit Manassem: Exiit (Manasses) aras Baal, et fecit lucos; et tradidit filium suum per ignem, (4 Reg. 21, 3, 4). Licet enim hic de Baal sermo habeatur, ritus tamen filios per ignem tradendi inter posteriores ceremonias Moloch recensetur; qua duo sane nomina interdum alterum pro altero usurpari infra demonstrabimus. Neque in Prophetis obscura apparent vestigia hujus non gliscentis tantum, sed et regnantis in populo abusus: Jeremias vito vertit tribut Juda, civibus Jerosalem (Jerem. 19, 3, 6), edificasse illos excelsa Baal, ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baal... Propterea, ait Dominus, ecce dies veniunt, et non vocabitur amplius locus iste Topheth, et vallis filiorum Ennon, sed vallis occisionis. Ambae scilicet vales ille cultu Moloch profinissimae erant. Eadem apud Sophoniam legas, qui Dei verbis haec pronunciat (Soph. 1, 4, 5): Extendam manum meam super Judam, et super omnes habitantes Jerosalem; et disperdam de loco hoc reliquias Baal.... et qui adorant super tecta militum caeli, et adorant, et jurant in Domino, et jurant in Melech.

Ex omnium horum testimoniorum collatione Baal pro Moloch usurpatum esse facile intelligimus; quod etiam ex historia Josiae, in Scriptura relatâ, apertissimè confirmatur; is enim rex (4 Reg. 23, 10) contaminavit Topheth, quod est in convalle filii Ennon, ut nemo consecraret filium suum, aut filiam per ignem Moloch. Cum igitur eadem vallis cultui Baal consecrata ex testimonio Jeremiae supra laudato appareat, eidemque numini oblatos constat in holocaustum filios; haec nomina Baal et Moloch unum idemque nomen designare satis superque intelligimus.

Porro Moloch nomen fuisse peculiare, quin et unicum, quod sciamus, Ammonitarum, ex pluribus Scri-

(1) Amos 5, 26; Portastis tabernaculum Moloch vestro, et imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri.

pture testimonio constat. Cum David Hanonem regem ejusdem gentis debellasset, fuit, ait Scriptura, diadema regis eorum de capite ejus, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, et impositum est super caput David, (1 Reg. 12, 50). Eo Scripturae testimonio, cum alio ejusdem rei in Paralipomenis collato, intelligimus diadema illud è capite Moloch numinis Ammonitarum, non è capite regis ejusdem detractum gentis fuisse (1 Par. 20, 2): Tulit David coronam Melchom de capite ejus. Cum autem Melchom idem sit nomen ac Moloch, utrumque autem regem significet, hinc equivocationi locus factus est. Ea verò circumstantia detracti scilicet diadematis è capite Moloch numinis Ammonitarum, formam in idolo humanam regiamque similitudinem, satis demonstrat; nec proceritatis ipsius obscurum est argumentum, quod de pondere ejus coronae, si tamen capiti imposita erat, memoriae proditum est. Quantum enim caput, coronam sustinens 860 librarum, 14 unciarum et 5 grossum nostri ponderis marchi! Illud sanè et in usus suos David transferret, detracto auro tolerabilis efficeret debuit; nisi fortè ponderosum hoc diadema supra thronum suum suspendit, quo sensu facile etiam detulisse coronam Moloch perhibetur. Ammonitarum verbis et sensu locuti sunt Prophetae, cum eam nobis ingerunt hujus numinis fidem, veluti regis, domini, totiusque gentis et regionis arbitri. Futuram eorum gentium captivitate Jeremias et Amos praedictantes, oracula sua ita pronuntiant (Jerem. 46, 4; Amos 1, 44, 45): Cur haereditate possedit Melchom, Gath?... Melchom in transmigratione ducetur, sacerdotes ejus, et principes ejus simul. Haec porro erat misera eorum nuntiatio conditio, ut fortunam cultorum suorum secuta, eodem, quo illi, fato traicerentur.

Haec in Scriptura de Moloch; modò de cultu illi impenso agendum est. Ex pluribus sacrorum librorum testimonio oblatos huic numini infantes, et per ignem in ejus honorem traductos intelligimus. Sed quibusnam caeremoniis superstilio illa parabatur? Altem ea de re silentium in Scriptura: scriptorum conjecturae variae. Alii flammam ante nomen excitatum saltu transiisse pueros credunt; alii per medios ignes è regione positos, traductos; qua, inquit, caeremonia pueri initiati, non igne precepti consecrabantur. Alii flammis ambustos contendunt: qua in re varie etiam sunt variorum opiniones. An enim igne posito ante aram numinis cremarentur victimae ille, an scilicet in ulais simulacri repositae, ac in armario, in eodem simulacro excavato, in ejus manibus, vel sinu, an tandem in manibus numinis ita depositae, ut inde in subjectum simulacro ignem deciderent, ambigitur. His variis auctorium sententiarum occasionem praebent variae Rabbinorum ejusdem numinis descriptiones; quas, ut vera fatear, etsi cum veritate congruere non statim pronunciarer, non tamen rejicere continuo audeam, cum ab externorum aumium figuris, à probatissimis auctoribus deductis, non abundant. Tradunt igitur Rabbinii, simulacrum Moloch ex aere fuso conflatum; nomen verò referre

aere throno assidens, regisque indutum insignibus. Capite erat, inquit, vitulino, porrectisque brachiis, veluti si ad amplexus invitaret: cum autem pueri ad sacrificium deducerentur, subjecto intimis simulacri penetralibus igne, totum exardebat, quo pueri inter ulnas ejusdem simulacri repositi, dicto citius cremarentur. Ne quid verò de miserorum infantium clamore ab adstantibus exaudiretur, sacerdotes magno tympanorum, aliorumque musicorum instrumentorum strepitu prohibebant. Alteram planè diversam ejusdem nominis descriptionem Paulus Fagus ex iisdem Rabbinis acceptam refert: Moloch, ait ille, simulacrum erat, quod interò cavum, in plura armaria distribuebatur; alterum pro libationibus farinae, alterum pro turturum victimis; tertium pro ore; quartum pro arietè; quintum pro vitulo; sextum pro bove; postremum, pro infante, qui excitato in intimis simulacri penetralibus igne calore ambustus cremabatur. Numinis facies vitulina, manus veluti excipiendo alicui porrectae. Septem iste cellatis satis cum iis quadrant, quae de Mitra ex veterum relatione discimus. Mitra Persarum erat nomen, cui creantis victimis, adeoque et humanis libatur: quod etiam cum sacrificio infantium Moloch oblato, congruit. Celebrantur septem ostia Mitrae, quibus septem planetarum nomina imposita sunt; unde faciliè Hebraei desumpserunt historiam septem armariorum Moloch (Vid. Orig. contra Cels. l. 5; et Selden. de Diis Syr. Syntag. 1, pagin. 160, 170, 171). Nemo, auctore Suida, sacris Mitrae initiabatur, nisi prius dura et ardua specimina et purtatis, et apathiae, vel stupiditatis suae exhibuisset. Haec verò specimina ab illis duodecim (Nicias in Greg. Nazianz. Orat. in Sancta Lum.), ab aliis (Vid. Nonn. in Greg. Nazianz. et Eli. Gret. in ejusd. 3 invectiv. cont. Julia.) 80 enumerantur; inter haec toleranda famae, sitis, ignis, frigus, verbera; nec rara erant humanarum victimarum sacrificia in atris illis et diris mysteriis, quibus obscurae cavernae terror horrorem crudelitatis augebat.

Saturum Carthaginiensium plurimum etiam ad Moloch accedebat. Ejus figuram Diodorus Siculus ita describit (Apud Euseb. Praep. lib. 4, cap. 16): Simulacrum erat aeneum, manibus terram versus porrectis, ut impositus in illis puer suo pondere labens in subjectum simulacro ignem, qui perpetuus in fossâ ad pedes numinis excavatâ ardebat, decideret. Porro hunc ipsissimum esse credimus deum, quem gentes ille Hamiticam appellabant; quod scilicet nomen ab Athenagorâ (Legat. pro Christian.) relatum, ad Moloch satis accedit. Quanquam autem Saturnum Carthaginiensium ex Saturno Phoenicum derivatum vix dubitamus, formâ tamen erant inter se proorsis absimili. Phoenices duo oculatorum paria numini suo imponebant (Euseb. l. 1 Praep. cap. ultim.), ante nempe, et retrò, par alterum apertum, alterum clausum; quatuor alas, par extantum, par reductum; addebat et tertium alarum par in capite. Ceterum victimis humanis tam apud Carthaginienses, quam apud Phoenices numini libatur. Infantes Saturno caedi in pluribus Africae regionibus

Minutus Felix testatur (in Octav.); sicut et apud Tertullianum legimus humane victimae sacrificia in his regionibus Saturno, cognomine crudeli, offerri solita, sub Tiberio primum desissee (Apolog. 2). De Saturno vero Phoenicum perhibent, victimis humanis litandi morem ab ipso primum auctore coepisse, quippe qui Jeda filium suum mactaverit; quae deinde consuetudo pro orbem universum longe lateque obtinuit. Ejus rei exempla frequentissima apud Phoenices in historiâ Sanchoiatonis occurrere, Porphyrius (de Abst. l. 2) testatur.

Ejusdem cultus Saturno, sive Moloch impensi vestigia quaedam apud Indos et Japonos deprehendi, ex relatione numinis ejusdem gentis intelligimus (Vid. Horn. de Orig. gent. Americ. l. 2, cap. 15; Chervreau Hist. du Monde, tom. 5, lib. 8, cap. 4, pag. 144). Meaci enim in Japonia idolum extat cavum, sennum, auro superinducto fulgens, quod in genua licet accedat, 24 pedibus tamen assurgit. Hoc autem simulacrum certis per annum solemnitatibus subjecto igne accensum positum inter ulnas infantem diris ignisque amplexibus stringens suffocant.

Ex his, quantum arbitror, satis intelligimus Moloch ipsissimum esse Phoenicum et Carthaginiensium Saturnum, quomodo modò ante nos etiam viri doctissimi Seldenus, Grotius, Bonferrius, alique censuerunt (Vide Selden. de Diis Syris Syntag. 1, cap. 6; Grot. in Deut. 18, 10; Bonferr. hic, Vat. Mariana, et plerisque apud Tostat.). Sed quid ista ad Mitram Persarum, et Baal Phoenicum, quos pariter cum Moloch confundendos supra autavimus? Haec siquidem nomina, non ad Saturnum quidem, sed ad solem referri plann est. Huic objectioni reponimus, solem et Saturnum juxta quorundam opinionem, sub eodem nomine et formâ olim apud Orientales cultum obtinuisse. Assyrii, ait Servius (Serv. in 1 Æneid.), Saturno, quem solem putant, cultum impendunt; colabant et Juvenem, qui simul omnia nomina in Africam transierunt; factum inde ut Punico sermone Baal deum significet, et apud Assyrios sol et Saturnus sub eodem Baal nomine censeantur: Apud Assyrios autem Baal dicitur quiddam sacrorum ratione Saturnus, et Sol. Paria etiam Macrobio visa sunt (Macrobi. l. 4, cap. 25), qui Saturnum Graecorum et Latinorum eundem esse cum sole demonstraturus, observat, eadem planè ratione qua sol elementa moderatur, temporum vicis accessione et recessione sua ordinar; ita sanè tempus quod Saturni nomine appellatum veteres maluerunt, temporum est arbiter, iisque certum praescribit terminum, nihilque, quod soli tribuntur, à se habet alienum. Humanis autem victimis Saturno litatum fuisse apud Latinos Graecosque ignorare neminem credo (vide Lact. l. 1 de fals. Relig. cap. 21). Hoc impij sacrificij genus ab Hercule ex Hispania reducere in Italia abolitum ferunt; nomina Mitra, Baal, Hamiteas, Moloch, Melchom singula exquæ regem, dominum, herum sonant, Graecorum solis nomen, nempe helios, ex Hel, quod Deum significat, Phoenicum apertissimè derivatur. Ita Servius ea de re. Omnes in

illis partibus solem colunt, qui ipsorum lingua *Hel* dicitur, unde *helios*. Tradit etiam Eusebius (ex Sanchoniata. l. 1. Præp. cap. ult.), in theologia Phœnicum Saturni inditum esse nomen *Ius*, quod idem est ac *E* Hebræorum, nempe *Deus*.

S. Cyrillus Alexandrinus autumavit Ammonitas (Mœnitas habet memoria lapsus) planetam Veneris in Moloch suo coluisse; ejusque numinis supremam frontem gemmâ quâdam pellucidâ insertâ micuisse (in Amos 5, 25, et ex eo OEcum. et Theophylact. in Acta) refert. Hanc S. Patris sententiâ, quam Græci quidam adoptârunt, conjecturæ quædam fulciunt, statim à nobis promendæ, ut demonstremus Moloch lunam aliquando designare, quam sanè lunam non rarò Veneris nomen apud veteres exhibet (Macrob. Saturn. l. 5, cap. 8).

Arias Montanus Moloch relatum ad Mercurium, nomen illud ex Hebræo Malac, nunciium, seu legatum agere, derivat; quod scilicet Mercurio apprime quadrat. Verùm alia est scribendi nominis Moloch in lingua originali ratio, quam que Ariæ explanationem patitur; potius enim quàm legatum regem exprimit. Neque sanè unquam victimis humanis litatum Mercurio legimus. Nec æquior est Kircheri (OEpid. Ægypt. Syntag. 4, capit. 15) conjecturâ, autumantis Moloch ipissimum esse Martem, et aliquando etiam cum Typhone et Mitra confusum. Ejus conjecturæ ex eo tantum ducitur, quòd in Commentario Cophitico ad Act. 7, 45, nomen Moloch pro sidere Martis positum sit. Non unum tantum, sed æquè omnes Ammonitarum deos nomine Moloch designari Spencerus contendit (de Leg. Hebr. Ritual. l. 2, cap. 10, sect. 12): Quare, inquit, et sol et clarissimi quique heroes eâ simul appellatione censentur, ut proinde frustra quis certam numinis Moloch figuram determinaverit. Observat in eam rem nomen illud indiscriminatim pro Baal usurpari; sicut et Baal nomen esse æquè omnibus Orientalibus numinibus commune, ex illo Isaie demonstrandum suscipit (Isai. 37, 12, 15): *Dii gentium Gozan, et Haram, etc., quos subvertent patres mei, nunquid eruerunt eos? Ubi est rex Emath, rex Arphad et rex Sepharvaim?* Quo loco hic reges Emath, et Arphad scribitur, alibi ita scriptum legitur (Isai. 56, 19): *Ubi est Deus Emath, et Arphad?* Adjecisse poterat Spencerus, quod supra nos animadvertimus, Deum Melchom perinde ac regem Ammonitarum habitum fuisse, cujus captivitatem, sicut et sacerdotum ipsius omnium servitum, Prophete prænuentiunt.

Gerardus Joannes Vossius non vagam ad eò, ut Spencerus, sed certiore ejus numinis ideam exhibet; namque nomine Moloch designatum credit Apollinem vel solem, coelum, Jovem, Saturnum, sive naturam; quamquam potissimum soli ejus simulacrum consecratum suspiciat (De Orig. et progres. Idololat. l. 2, cap. 5). His autem rationibus nititur: 1^o Nomen Moloch idem sonat ac Baal, quo postremo sol ipse aperitissimè denotatur; 2^o in simulacro Moloch septem erant cellule, si Hebræis fides, quinque scilicet pro singulis planetis, duæ reliquæ pro lunâ et sole; soli autem infans immolabatur.

Post adductas hæc doctissimorum virorum opiniones unâ cum rationibus quibus fulciuntur, ad nostram tamen referendam sententiâ lectorum expectatione invitatur. Nobis igitur ea sedet sententiâ, quæ Moloch cum sole, sive cum lunâ, vel cum utroque simul confundit. Paradoxum asserere viderem; sed hujus nostre opinionis eas profereamus conjecturas (neque enim in re ambiguit demonstratio expetenda est) quas apud æquos lectores fidem obtenturas confidimus. Sol et luna, vetustissima simul ac notissima, sunt paganorum numina, in quorum cultu, quanquam variis nominibus representarentur, tota Orientalium superstitione versabatur. Alterum ex illis astris regis titulo et nomine alterum reginæ cæli designatum est. Nec alia sunt Ægyptiorum numina, sub Osiridis, et Isis nomine (Vide Euseb. lib. 1. Præp. cap. 10), sicut etiam Ammonis notissima. Alexander Magnus, ejusdem Ammonis oraculum in Lybiâ celebratissimum consulturus, numini sub titulo regis sive domini oblati sacris litavit (Ariam. de Exped. Alex. lib. 5). Olim apud Phœnicos nulla erat alia quæ coleretur numina, quàm sol, luna, astra et elementa; solum autem Baal, lunam Astartem appellabant. Gemini erant Arabibus dii, Bacchus et Allat, seu Venus celestis (Herod. lib. 1, cap. 151); in Baccho solem, in Allat lunam agnosce. *Primi Græciæ incolæ nullum norant nomen, ait Plato, quàm quod hodiè usque Barbari noverunt, solem, lunam, terram, astra, coelum* (Plato in Cratyllo).

Veterem hanc religionem Barbari nondum exuerant, cum Græci sub Alexandro Magno suscepti in illos expeditione totum Orientale imperium invaserunt; Ægyptus excipitur oportet, ubi vel brutis ipsis decreta sunt thura et altaria; sed et his exceptis numinibus, etiam apud Ægyptios varia quidem erant deorum nomina, re tamen solem et lunam unicè ab illis cultos non temerè suspicaremur. Cum tamen Græcorum fastus religionis suæ vestigia in ipsâ Orientalium theologia rimari voluisset, factum inde, ut omnia turbaret, barbarisque numinibus nomina inderent deorum, qui in Græciâ colebantur. Ita, e. g., nescio quid similitudinis nacti inter Baal Phœnicum, et Saturnum sive Cronon Græcorum, continuò duo hæc nomina in unum conflantes, Baal demum Phœnicum ipissimum esse Saturnum pronuntiârunt; idem Saturno Carthagenisium accidit. Prostituta, et seortationes in honorem numinis ejusdem frequentati apud Orientales animadvertentes, statim eâ superstitione Venerem colè dixerunt; sed reclamantibus Orientalibus, atque colere se eò superstitionis ritu lunam affirmantibus, idè Venerem celestem invehere invisum est. Quod autem maximè nos in hanc sententiâ inclinat, ut scilicet Moloch cum sole confundamus, illud est, nempe Arabes, inter quos Ammonitæ censebantur, solem et lunam pro omnibus numinibus coluisse. Arabes, ait Herodotus (lib. 5, cap. 8), *Dionysium tantum, et deam celestem colunt; hinc Ourotali, illam Allat appellat.* Scitum est apud Græcos ipsos Bacchum, Liberum, Dionysium varia esse ejusdem numinis, nempe solis, synonyma; quod aperitissimis rationibus Macrobio demonstratum est (Or-

pheus apud Macrob. lib. 4, cap. 18). Apud Ægyptios, Herodoto auctore, Digayusis pro Osiride usurpatur (lib. 2, cap. 44). Osiridis autem nomine solem designari quis nesciat? Quadrat nomen Ourotali, quo Arabes Dionysium appellant; sonat enim eorum lingua deum luminis; quadra et cultus Baccho sive Dionysio impensus, apprime scævus, et immanis; victimis enim humanis pluribus in locis ejus numini litabatur: ita in insula Chio ante aram numinis in frusta miseri homines disceperantur. Civis Duma in Idumæa Ammonitis contemni, quemadmodum est à nobis ad Levit. 18 demonstratum, infantem quotannis immolabant; mactatum autem condebant sub lapide, quo pro altare simul, et simulacro utebantur. Nec olim apud veteres quamplures alia erant idola, quam lapides rudes, vel in columnas redacti: ita Bacchum Thebarum, et deum Elagabal (solis erat imago) describunt; ita de Arabum numinibus ferunt, apud quos quadrata pyramis lunam exhibebat. Apud recentiores Arabes tamen status obtinuisse infra demonstrabimus. Non abs re igitur credimus, Moloch Ammonitarum, et Dionysium sive Ourotali Arabum pro uno eodemque numine usurpandos.

Prætereundum hic ducimus, quod supra jam demonstratum est; nempe Mitram Persarum, et Belum Assyriorum ipsum esse solem, et Moloch; addendum tamen cum Herodoto censeo, inveciam in Persidem ab Assyriis et Arabibus auctoribus religionem (Herod. lib. 1, cap. 151): Quare Persarum Mitra ipsa est Allat, nempe luna, quæ de re infra sermo redibit, cum Moloch et lunam faciliè confundendos demonstrabimus.

Potissima Phœnicum numina celebrabant Baal et Astarte; quorum primus solem, altera lunam designat. Id cum per se aperitissimum est, tum adductis rationibus extra omnem controversiam ponemus. Sanchoniato, ab Eusebio relictus, tradit solem unicum esse apud eas gentes cæli dominum, cui proinde nomen ab illis inditum est *Baal-Schemen*, nempe deus cæli (Apud Eus. Præpar. lib. 1). In Scripturâ appellatur *Baal-Schemes*, nempe deus sol, sic autem habet (4 Reg. 25, 4): *Et præcepit ut projiceret de templo Domini omnia vasa, quæ facta fuerant Baal, et in tuco* (Hebr. *Asera*, nempe Astarte) *et universæ militiæ cæli... et delevit qui adolebant incensum Baal et soli* (Hebr. *Baal Schemes*), *et lunæ, et duodecim signis*. His sanè verbis Baal, et Baalesmes, sicut Astarte et luna non obscure confunduntur. Porrò Astartem cornigeram pingebant, teste Sanchoniato: nec alius fuisse creditur Baalis habitus, si unus idemque cum sole, Baccho et Osiride reputandus est. Que in regno Israelis ad cultum erecta erant numium simulacra, ad similitudinem Baalis, Astartes, Osiridis et Isis expressa, hæc sanè in Scripturâ vacce seu vituli auri appellatur (1); quòd scilicet vel bovino essent capite, vel saltim radiis,

(1) Vide 5 Reg. 12; et 19, 18. Jerem. 2, 28; et 7, 9; et 11, 15, 17; et 19, 5; et 22, 55. Osee 2, 8; Sophon. 2, 4; Tob. 1, 5. In Hebræo quoque vacce interdum appellatur: *Vaccis* (Hebr. *agelot*). Beethsen colerant habitatores Samarie, Osee 10

veluti cornibus, frontem haberent instructam. Quod ad Phœnicos atinet, frustra humanis victimis illos sanè numinibus litasse ostenderemus, cum hujus criminis et primi auctores, et fautores potissimi cum in suis urbibus, cum in ductis à se coloniis habeantur.

Nec Syri reliquis finitimis gentibus in cultu solis quidquam concedebant; cui nomen *Adad*, l. e., unus, solus, ab illis inditum credimus: quo pariter nomine pterosque ex eorum regibus appellatos legimus in Scripturâ. Eodem nomine *Adad* maximum gentis nomen ab Assyriis appellatum, cui socium in supremâ rerum omnium potestate jungeret deam *Atargatum*, Macrobius (Saturn. lib. 1, cap. 25) est auctor, coronam numini imponebant radiis inclinatim nitentem, deæ verò radiis in sublime erectis. Porrò in eâ historiâ Assyrii pro Syris usurpatis, errore apud veteres, non satis inter duas hæc gentes distinguentes, frequentissimò, ne ambiguis quidem. Alterum solis simulacrum, habitu planè à numine Macrobio diverso, Edesse in Syriâ dedicatum Herodianus describit (Herod. lib. 5). Dei nomen *Elagabal*; figura verò lapis ab imo rotundus et sensim fastigiatus. Antoninus imperator, cui idem cum nomine erat cognomen, communi utrique sedem voluit; quare Romam transferri, iisdemque, quibus antea Edesse, colui honoribus curavit. Quinam illi? Cæsarum puerorum victimis numini illi ab imperatore litatum ex Xiphilino habemus. Quare idem faciliè nomen fuit *Elagabalus* ac Moloch.

Alia occurrunt in Scripturâ numina, faciliè cum deo Ammonitarum confundenda; scilicet *Anamelech* et *Adramelech*, dii Sepharvitarum (populi erant in Samaritanâ à regibus Assyriæ loco veterum incolarum translati). Conjecturam capimus ex more in eâ gente recepto, de quo 4 Reg. 17, 51: *Qui erant de Sepharvaim comburebant filios suos igni Adramelec et Anamelec, diis Sepharvaim*. Porrò hæc gentes veterum Medorum regionem, vel circa incolere potuisse in Commentario in Gen. 2, 11, ostendimus. Nomina *Anamelech* et *Adramelech* juxta Hebræicam etymologiam reddi possunt, illud *rex magnificus*, alterum verò *rex mitis*. Autumat Vossius Anamelech designare etiam posse deum oracula fundentem, ex Ana, quod Hebræis est *respondere* (Voss. de Orig. et progr. Idololat. lib. 2, cap. 5). Potest etiam ex Arabico *gani*, divus, vel *gigna*, *divitum*, reddi, *rex dives*, sive *rex divitiarum*, *Adramelech* est rex, vel deus magnificus. Ego non invidus crediderim Anamelech ipsam denotare deam *Anaim*, in regionibus Assyriæ finitimis, ut ex Strabone (Strab. lib. 11, p. 547; et lib. 15, 485) patet, celebratissimam, que quidem dea cum Dianâ et lunâ confundenda est. Quoad *Adramelech* verò non nisi solem designasse censeo; quod sanè nominis significationi, dei scilicet magnifici, apprime quadrat.

At enim, si Anamelech ipsa est dea Anais, quomodo regis titulus Anamelech, femina nempe, in sacrâ Scripturâ tribuitur? Quod difficultatem faciat in eâ re nihil est; solem enim erat antiquus, ut nullum in diis sexum distinguerent, quemadmodum neque in illis discrimen illud observat S. Scriptura, que de Astarte

et Dagonē agens, deos utrosque, nullo facto discrimine, appellat (1); cum tamen Dagon facili ipsa esset dea Dereto, sive Artagatis; Astarte verò dea esset Sydoniorum. Usitatisiam etiam erat formula pagano-rum inter orandum: *Sive tu deus es, sive tu dea* (Arnob. contra gentes); quemadmodum etiam constat ex relata apud Macrobiū prece pro impetranda ope deo-rum, quorum patrocinio obsessa urbs subdebatur (Macrob. Saturn. lib. 3, cap. 9). Istud autem capitale paganae religionis dogma, si unquam aliàs, potissimum in lunā observabatur, quae utrumque sexum in se conjungere credebatur, ait Plutarchus (de Iside et Osiride). Non ignota sunt nomina deus Lunus et dea Luna: quin et Apollo ipse sub utriusque sexūs habitu, quemadmodum et Mitra colebatur. In superioribus observavimus ex Herodoti testimonio, eandem deam, quam Assyrii Mitram appellabant, hanc sub nomine Astart Arabes coluisse. Luna apud Syros, Armenos, et in Mesopotamiā, virile erat nomen. Virilibus vestibus induta pingebatur, quemadmodum et in nummis quibusdam Graecis hodie usque apparet, ubi virili etiam titulo, atque Armeno capitis integumento exhibetur. Narrat Spartianus veteres Chortarum in Mesopotamiā incolās in eā fuisse persuasionē, ut quicumque lunam pro deā haberent, ipsi nunquam uxorī suae non subderent; qui verò pro deo, nunquam non uxores suas sibi morigeras habituros (Spartian. in Caracall.). Ad-dit consuevisse quidem Graecos et Aegyptios muliebrī nomine lunam appellare quandoque, nunquam tamen nisi tanquam nomen virilis sexūs in mysteriis suis habuisse: *Mysticè tamen deum dicunt*. Bacchus quan-tum ipse sol esset, ut supra ostendimus, coruibus instructus, atque muliebrī amictu, ut ex Porphyrio constat (Apud Euseb. Praep. lib. 3, cap. 11), pingeba-tur. Est igitur ambigendi locus, an Moloch nomen sit lunae potius, an solis, cum dei sive deae titulus indi-scriminatim usurpari consuevisset. Ex quo etiam illud consequitur, nihil esse cur lectores mirentur si Ana-melech, nomen regis titulo insignitum pro deā ha-beamus.

Sed agendum, demonstremus humanis victimis non soli tantum, sed lunae etiam litari frequenter conse-uisse. In regionibus ad Araxem sitis (ubi Sepharvairum patriam constituitimus) auctore Strabone, luna colebatur, cujus erat templum insigne ad Iherum (Strab. lib. 11). Ilujus fani sacerdos secundam obtinebat post regem dignitatem, frequentem mancipiorum turbam nunti consecratam in obsequiis habebat. Accidebat autem quotannis, ut ex tantā mancipiorum turba aliqui divini, ut ferebatur, instinctu in lucem sese subduceret, ut tamdiu errabundus vagabatur donec à sacerdote captus, catenis oneratus, toto anno lautè in carcere detineretur. Eo anno evoluta, unā cum aliis victimis nunti immolandus addebatur. Nec alterius erant generis sacrificia deae Syriae (quam facili lunam credimus et ex Luciano constat). Narrat

(1) 4 Reg. 3, 7: *Dura est manus ejus super nos, et super Dagon nostrum*. 5 Reg. 11, 3, 53: *Adoraverunt Astartem deam Sydoniorum*.

enim clausos in sacris pueros delatos à parentibus in templi pinnaculum, unde praecipites in forum ageren-tur; lugentes autem casum suum pueros, à solari consuevisse parentes, ut dicerent, non à se eos geni-tos fuisse, sed à bobus. Cruenta Dianae sacrificia, qui-bus in Tauricā numen colebatur, notiora sunt, quam ut inpraesentiarum à nobis commemorentur; ejus au-tem cultum et ritus in Cappadociam et Arabiam in-vectos Strabo testatur (Strab. lib. 12 et lib. 16).

Duo supersunt Romae simulacra, in eodem marmore insculpta, quae nostro argumento servire possunt; extant autem in hortis Farnesianis, et ipsissima esse nomina credit Seldeus, quae, referente Zozy-mo, Palmyrā Romam ab Aureliano delata sunt. Inscripta marmorī legitur haec graeca epigraphē: *Agilobolo et Malachelo diis patriis*. Credit autem idem Seldeus, Agilobolum eundem esse ac Elagabalum deum Palmyrenorum, quem Antoninus cognomento Heliogaba-lus Romam transferendum curavit; derivat autem nomen illud ex Hebraeo *Hagli*, rotundus, et *Baal* do-minus; porro Heliogabalus lapis erat rotundus, ut jam supra innuimus, et solem designabat. Malachelum verò ita interpretatur, ac deum Belum; ego tamen maluerim Malachelum lunam reddere. Fateor quidem nomen illud virile esse; sed non semper muliebrī no-mine appellatam lunam supra ostendimus; quin et Malachelus plerumque cornu habet lunae in dorso ex-pressa, quod lunae unice convenit. Nomen Malachelus ad litteram sonans deus, rex, summam ejus nominis venerationem demonstrat, simulque probat, quod su-pra à nobis insinuatum est, nempe Moloch, cum deo Luno confundi.

Tandem in promptu habemus auctorem, qui sin-gulare aliquid de Ammonitarum numine affert. Is est celeberrimus itinerator Benjamin, qui venisse se Gebai urbem Ammonitarum referens, vetus inuisit templum, et in templo vetus, quod supererat, ejusdem genitū nomen. An mulierem, sive marem referret, silet omni-nò; ceterum, ait, simulacrum erat lapideum, auro superinducto nitens, quod throno assidens, duas utrinque feminas, totidem thronis assidentes, habebat; ante feminas ara posita in usum sacrificiorum et aroma-tum. Ex auctoris silentio colligimus, nihil novi in numinis simulacro spectatum fuisse; ex quo adductis supra ex Rabbīnis descriptionibus suspicio non levīs. Nec est cur diversa ab eo numine credamus alia fini-ōmarum genitum; quanquam enim in remotissimā à itiquitate rudes coluisse lapides sive columnas po-pulos illos constat, successu tamen temporis hominum simulacra rudes illi lapides ad decus Religionis induerunt. Si autem in medium iterum adducere licet *Helagabalum*, possumus non inesse ejus nomen ex *lib* et *Gabal* derivare, ut sit deus Gabal, nempe sol in urbe Gabal cultus, vel deus terminorum; has enim omnes significationes commodè reddidit hebraeus *Gabal*. Posset etiam non incongruè derivari ex *Hel-Haggabal*; nempe Deus creator, quem saepe titulum apud paganos sol obtinebat. Porro *Gabal* syriacè et *Gabal* arabicè sonant creare.

Anquam dissertationem claudamus, objectionem occupare oportet, ex eo scilicet deductam, quod nego-tium facere videantur varia illa nomina uni eidemque deo juxta nostram sententiam indita in regionibus inter se finitimis, nec sermone, neque religione plu-rimum inter se discrepantibus. Sed his facili reponi-mus, varia fuisse ejusdem dei nomina, nedum apud varias gentes, sed in unā etiam eademque regione. Sed et inter nomina caetera facili in eā re superant sol et luna, quemadmodum et latior illis praeceteris cultus et religio. Vetus poeta graecus (Belo ep' Euphrateo, Libys callemens Ammon) refert, Bacchum apud populos supra Euphratem Belum appellari, apud Lybes Ammonem, apud Aegyptios Apin, apud Assyrios Jovem. Sol apud Ausonium ita loquens inducitur: *Ogygia me Bacchum vocat, Osirin Aegyptus putat, Arabica gens Adonem*. Nihil essemus, si omnia solis nomina à Macrobio recensita referri hic (Macrob. lib. 4, cap. 18) patiremur.

Neque quidquam in eā re luna soli concedebat. Diana in Hymno apud Callimacum Jovem rogat, ut sibi hanc praerogativam, multorum scilicet nomen, rati-tam habere semper velit. Luna apud Apoleium (Apol-

Metamorph. lib.) ita se facit: *Primigenii Pesinun-ticam nominant deum matrem*. Hinc autochthones Attici Cecropiam Minervam illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem; Cretes sagittiferi Dianam Dianam; Siculi trilingues Stygiam Proserpinam. Nam Eleusini vetustam deam Cererem, alii Bellonam, alii Hecatem, Rhamusiam alii: et qui nascentis dei solis inchoanti-bus illustrantur radiis Aethiopes, Africque, priscaque doctrinā pollentes Aegypti, caeremoniis ne propriis percolentes, appellant verò nomine reginam Isidem. Post haec omnia non est cur lectores mirentur, si Moloch deum Ammonitarum cum sole vel lunā confundendum asseruerimus; si unum etiam eundemque habuerimus cum Baalsemes, et Astarte Phenicum, Osiride Aegyptiorum; cum Dionysio et Allat se Ve-nere coelestis Arabum, Mitrā Persarum, Belo Assyrio-rum, Anamelech et Adramelech Sepharvairum, Anai populorum ad Araxem, Saturno Phoeniciae Amilicā Cartaginensium, Adad et Atergati Syrorum, Elaga-balo Palmyrenorum, Deā Syriae Jeraplae, Agilobolo et Malachelo Palmyrenorum, tandem cum Apolline, Baccho, Adonide, Dianā, Venere, Lunā et Luno. Variis hisce nominibus uni designantur Sol et Luna.

IN NUMEROS COMMENTARIUM.

Argumentum.

Liber hic hebraicè à sul initio dicitur *Valedaber*, id est, et locus est. Graeci *ἑλεβος*, et eos secuti Latini, *Numeros* cum vocaverunt, eò quod liber hic à censu et numeratione populi incipiat, quòdque multae capitales et numerationes hoc libro percensentur; uti bellatorum Israel c. 4, primogenitorum et Levitarum c. 5, mansionum in deserto c. 35; denique eò quòd hoc libro Hebraei in suis numeros, id est, ordines, turmas et acies distribuunt; numerus enim subinde accipitur pro certā ratione atque ordine, ut apud Virgil. Aeneid. 11:

*Etrusque duces, equitumque exercitus omnis,
Compositi numero in turmas.*

Sic milites dicebantur referri in numeros, cum in suis ordines distribuuntur, in eorumque catalogum in-scribebantur.

Materia libri est, partim historia peregrinationis Hebraeorum per desertum tendentium in Chanaan, hanc enim in Exodo ceptam hic pertexit Moses; partim variae numerationes, partim praeccepta Dei positiva hinc inde immixta. *Numeri*, inquit S. Hieron. in Pro-

logo Galeato, *nonne totius arithmeticae, et propheticæ Balaam, et quadraginta duarum per eremum mansionum mysteria continent?* Ob novam hanc materiam, nova est hic sectio Pentateuchi, novusque liber Numerorum, à Levitico et aliis dissectus et distinctus. Censet Abi-lensis Mosen Exodo, maximè cap. 20, complexum esse praeccepta moralia sive naturalia, Levitico cere-monialia, Numeris judicialia. Verum hoc per omnia verum non est; nam et judicialia pertinetur Exodi 21 et 22, atque hic in Numeris tam, imò magis cere-monialia, quam judicialia, hinc inde immiscet.

Liber hic complexitur historiam et gesta Moysis ac Hebraeorum à secundo mense anni secundi egressis eorum ex Aegypto, usque ad finem penit vitae Moysis, sive peregrinationis 40 annorum in deserto, videlicet usque ad initium mensis undecimi anni quadagesimi. Nam ab illo mense undecimo anni quadagesimi incipit sequens liber Deuteronomii, ut patet conferenti v. 1 c. 1 Numer. cum c. 1 Deuter. v. 5. Continent ergo Numeri gesta circiter 59 annorum, videlicet ab anno mundi 2455 usque ad annum 2494, quod fuit ab anno à diluvio 798 ad annum 857.